MARCO VELSERO
Duumviro Auguſtæ
Vindelicię
Henricus Wottonius
S O

PRivatim antehàc ad te aliquoties ſcripſi : Nunc cauſſa eſt vt publicè quoque id faciam : Hæc qualis ſit quæſo audias. Proſtabat Francofurti ſuperioribus Nundinis opus quoddam ſi molem ſpectes (quod ferè fit) non ſanè de infimis, cum hac inſcriptione :

Gaſparis Scioppij Eccleſiaſticus
authoritati Sereniſſimi Domini Iacobi Regis oppoſitus.

In quo cùm argumento magnam partem novo, tum exemplo nemini adhuc viſitato, et cetera quæ eandem modeſtiam ſapiunt.

Huius operis conſutor cùm farraginem rerum vndecunq; emendicaret, videtur

nelcio

neſcio quo modo incidiſſe in iocoſam Legati definitionem, quam iam ante octennium iſtàc tranſiens apud amicum virum Chriſtophorum Fleckamerum fortè poſueram in Albo Amicorum more Teutonico, his ipſis verbis : *Legatus eſt vir bonus peregrè miſſus ad mentiendum Reipublicæ cauſſâ.* Definitio adeò fortaſſe catholica, vt complecti poſſit etiam Legatos à latere : Quid hîc obſecro facit Scioppius? Reſerat familiaritatis ſcrinia, reſuſcitat poſt tot annos obſoletos ſales iam ipſâ vetuſtate ab inquietudine redemptos, ornat me pro humanitate ſuâ clementiſſimâ interpretatione, tanquam id non ſolùm ſeriò ſed & iactanter ſcripſiſſem ; Neque hoc contentus, conatur quoque intemeratum Optimi Regis nomen per iocos meos in invidiam trahere, quaſi Domini præſtare tenerentur etiam ſervorum luſus : Poſtremò ad honeſtandam petulantiam ſuam locum vnum atque alterum ex Eſaiâ & Solomone lepidè intermiſcet, vt nihil eſt tutum

tum à profanis ingenijs. Hæc in me fateor cecidiſſe miro ſeculo. Quis enim putarat naſciturum hominem impatientem breuis ioci ſuper Legatorum licentiâ qui tantùm politica agitant, vbi indies videmus ipſam Sacroſanctæ Theologiæ ſeueritatem à quibuſdam Æquiuocationum, mentalium reſeruationum, & piarum fraudum Magiſtris tam fœdè conſtupratam? neque hoc obiter, aut iocoſè, aut in Albis Amicorum vbi vana veraque pari ſecuritate tam ſcribi quàm depingi ſolent: ſed ex profeſſo, & de ſuggeſtu, & cum privilegio & authoritate Superiorum: Verùm Scioppius eſt qui ſurrexit. Et quid expectet me reſponſurum? Sanè memini familiam meam cùm Venetijs eſſem Anathemate percuſſam in Paræneſi Baronianâ. Memini tum etiam à Gomitulo Ieſuitâ Peruſino, & ab Antonio Poſſevino eiuſdem farinæ quædam in me iacta: Quæ quanquam ab exulceratis animis effluerent vtcunq; tacitus ferebam: Quippe hi

erant

erant viri non indignæ exiſtimationis ſaltem apud ſuos: & ipſorum authorum qualiſcunque claritudo leniebat iniuriam : Sed cùm famelicus transfuga & Romanæ curiæ lutulentus circulator ſcriptitat ſolùm vt prandere poſſit; Cùm ſemicoctus Grammaticaſter & nullâ antehàc ſolidiore diſciplinâ tinctus Eccleſiaſtica tractat; Cùm Veſpillonis, & caſtrenſis Scorti * ſpuma irreuerenter in Regem debacchatur, cuius eximia in diuinis humaniſque ſapientia & conſtans iuſti tenor cuicunq; vel privato venerationem conciliaret; Cùm homo Germanus exutâ patriâ probitate & modeſtiâ, nihil aliud per totum opus quàm euerſionem Regum Regnorumq; ſpirat; Cùm denique idem os quod Ieſuiticam ſocietatem * *Parricidalem Cohortem* vocauerat, nunc poſtquam culinas Romæ olere cœpit, eandem *Prætoriam* * *Caſtrorum Dei cohortem* vocat, *Quis iniquæ Tam patiens vrbis* (quæ iſtud animal pabulatur) *tam ferreus vt teneat ſe?*

Igitur,

* Lege vulgata de vitâ & parentibus Scioppij pag. 127.

* Ibidem. pag. 132.

* Eccleſiaſticus Scioppij pag. 371.

Igitur, ſemotâ omni feſtivitate, te ſeriò, te ex animo (Ornatiſſime Velſere) in hac Epiſtolâ conuenio : orans obteſtanſque per commune humanitatis vinculum, per eiuſdem Baptiſmi, eiuſdem ſymboli conſcientiam, ipſe velis (pro authoritate quâ te ſcio valere apud tuos) iſtos Sciop-pios compeſcere: vt eiectis è cœtu Chri-ſtiano ſimilibus hominum propudijs, Cauſſarumque ſanè vel optimarum de-honeſtamentis, ſua bonis viris exiſtima-tio, ſua Principibus dignitas maneat; Non vexentur Nundinæ proſtitutis Pa-raſitorum calamis; Non typi (nobile Germanorum inuentum) adeò miſerè torqueantur, ſequatur deniq; quantùm infirmitas noſtra ferat illa Regnorum Eccleſiarumque requies quam nobis commendavit ſupremus pacis præcep-tor ſimul & exemplum. Quòd ſi impu-dentem illam dicacitatem (quam ab in-fami ortu μάλα ἀναλόγως traxit) non depone-re poterit ſine magno ventriculi incom-modo; ſaltem dignus eſt certè cui curte-

tur

tur esca ob execrandam argutiam quâ sibi videtur vel ipsis Tridentinis Patri-
8. April. Sess. 4. bus oculatior. Illi *: *Traditiones & Scripturam Sacram pari tantùm pietatis affectu & reuerentiâ suscipiendas*, primi omnium (quod ego sciam) decreuere. At iste novus Ecclesiasticus non in Albo Amicorum sed pulcherrimi syntagmatis sui p. 485. maiorem traditi quàm scripti verbi Divini authoritatem blasphemo & pudendo ore pronuntiat. Possem sexcentas id genus Scioppietates proferre, sed hoc esset ruspari sterquilinium. Vale igitur (Vir nobilissime) atque iterum Salue. Londino. Nonis Decembribus Iulianis. Anno vnici Mediatoris nostri cIↃIↃcXII.